



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

XLVIII. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

except. 2do. Si id, ad quod necessarid ignorantia consequitur, ut me impotentem aut amentem fuisse, demonstretur. Cap. cum dilectus. 3. de Success.

ab intestat. 3tio. Si id, ex quo verisimiliter me ignorasse sequitur: ut me isto tempore abentem fuisse probetur.



REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

Quæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiozem. Exempla sunt imò. Si pupillus vel minor restitutionem in integrum perat, ea non aliter conceditur, quam ut non ex alieno detestcat detrimento, & perceptos ex fundo fructus restituat. L. Si pupilli. 66. ff. de solut. 2do. Ecclesia cujus fundum præ-

latus illegaliter alienavit, adversus contractum, nisi reddito pretio, si exstet, vel in Ecclesiæ versum utilitatem, in integrum non restituitur.

Quæres secundo. Quæ Regulæ exceptio?

R. Regula præfens limitatur in casibus, in quibus quis propter utilitatem publicam, ut in præscriptionibus &c. Jure suo privatur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Carolina libera cum Titio servo matrimonio contraxit, quo consummato Carolina pro separatione instat, eò quod servilem Titii conditionem ignoraverit. (A) Opponit Titius se publicè ut servum habitum fuisse: (B) & dato, quod ante matrimonium contractum nesciverit, scivisse tamen

ante ejusdem consummationem, (C) aut saltem tunc debuisse & potuisse scire, quia frequentabat ædes Domini, in quibus Titium ut servum haberi videbat. (D) Econtra opponit Carolina, quod Titium famulum conductitium, non autem servum propriè dictum esse putaverit, cum nequidem sciverit one-

ra propriè dictæ servitutis, (E) & offert Juramentum, quod nec ante matrimonium contractum, nec ante illius consummationem onera propriè dictæ servitutis noverit. (F) Judex matrimonium dissolvit, Carolina ta-

men proliis alimentationem injungit, cum servus eam alere non possit, nec Dominus teneatur, si contractum matrimonium aut Carolinam liberam esse ignoravit. (G)

RESOLUTIO.

(A) Titio servo probandum est, quod Carolina ipsum noverit esse servum, per Reg. 47. Si Carolina servitutis conditionem verè ignoravit, nullum est matrimonium. *Cap. proposit. 2. cap. fin. de conjug. Servor.*

(B) Si Titius publicè habitus fuerit ut servus, contra Carolinam, quod servitutem sciverit, militat præsumptio, quæ onus probandi transfert in eandem. *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.*

(C) Si ante matrimonii consummationem servilem sciverit conditionem, ipso facto in servum consensit, ideoque validum est matrimonium. *Cap. fin. de conjug. Servor.*

(D) Si facile scire poterat, scivisse præsumitur.

(E) Cum ex antecedentibus contra Carolinam violenta oriatur præsumptio, ipsa probare debet, quod Titium non mancipium, quod est facti, sed famulum conductitium fuisse putaverit: similiter eidem probandum est, quod naturam propriæ servitutis ignoraverit, quod est Juris, cujus ignorantia non præsumitur.

(F) Carolina per Juramentum suum probare debet ignorantiam. *Cic. cap. si verò. 4. de Sent. excom. cap. pastoralis. 4. de exception.*

(G) Carolina libera prolem alimentare tenetur, cum partus ventrem sequatur: aliàs si alimentatio incumberet domino, vel injungeretur servo, Carolina ab onere isto absoluta contra Reg. 48. cum Domini locupletaretur jactura.

REGULA XLIX.

In poenis benignior est interpretatio facienda.

Quæres primo. Quis hujus Regule sensus?

ꝛ. Dum dubitatur, quænam ex

duabus aut pluribus poenis delinquenti sit infligenda, vel legis verba sunt ambigua, ita, ut in mitiorem vel severiorem